



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. XCVIII. An omnes, qui vocationi consentiunt, peculiari gratia
excitentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

dicta illius interpretentur, & quamvis ea, quæ in priori classe retulimus, in bonum sensum quodammodo interpretari possemus, sicut exponeamus verba Concilii Tridentini, quæ ibidem recitauimus: quia tamen, quæ in posteriori classe allata sunt, nullam benignam patiuntur interpretationem, ideo vtrouique eiusdem fuisse sententiæ Augustinum non dubitamus.

Verba autem Concilii cap. illo 11. vno ex duobus modis puto intelligenda. Primum, ita ut particula nisi non sit exceptiua, sed vim habeat conditionalis, & sensus sit, Deus sua gratia iustificatos non deserit nisi, hoc est, si non, ab eis prius deseratur. Ac si dicat, hoc certissimum est, iustificatos à Deo destitui auxilio suo sufficienti, si ipsi prius non deserant Deum, quid autem, si ipsi deserant Deum, non decernit Concilium, & fortassis contra Aug. opinionem nihil definire voluit. Aut deinde explicare possemus Concilium non de auxilio præuenienti, sed de comitanti. De hoc autem verum est, nemini à Deo denegari, nisi ipse prius deserat Deum: quia nulli deest auxilium comitans, nisi quia ipse non cooperatur, & quia præuenienti auxilio resistit. De hoc autem manifeste loquitur, cap. 13. citato, cum asserit, Deus enim nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut caput opus bonum ita perficeret operans velle, & perficere. Homines namque deesse dicuntur gratiæ, cum Deo excitanti & vocanti non consentiunt & ideo dicit Anselm. lib. de casu diaboli cap. 7. Angelos malos non recepisse perseverantiam, quia noluerunt eam recipere. ut multis ipse contendit probare: id quod non de auxilio præuenienti, sed de comitanti debet intelligi: nam auxilium præueniens perseverantiam, ex eorum consensu non pendet. Eodem pacto Hugo de Sancto Victore summ. sentent. tract. 2. cap. 3. & lib. 1. de Sacram. p. 5. cap. 24. ait: Sed quia conuertebantur iudicio bene uolebant, quia gratiam cooperantem habuerunt: scilicet auertebantur, non iudicio precipitabantur, quia gratiam cooperantem non habuerunt, sed iudicio à gratia deserebantur: intelligi cooperantem, quia auertebantur: de quo iterum sequi dispositionem, cap. 6. & 7. Sic ergo interpretari possumus Augustinum, eius discipulos, cum ita pronuntiant: Deus neminem deserit, nisi prius deseratur, ut intelligatur de auxilio cooperante. Prius enim est hominem resistere gratiæ præuenienti, & ei non cooperari, quam Deum denegare conuersum suum. Quod vero subiungunt: Et multos desertores ad se conuertit, sic possemus explicare: & multos, quæ suæ gratiæ vocanti defuerint, vberiori, & congrua vocatione ad se posita conuertit, ut faciant, quæ debent. Verum cum ex testimoniis posterioris classis de mente Augustini manifeste nobis constet, non videtur satis, si hoc modo priora illa explicemus.

Superest, ut rationi, quæ ultimo loco allata est, respondeamus. Dicimus ergo, gratiam necessariam ad operandum, sine qua operari nemo potest duplicem esse: quædam est antecedens, alia vero comitans. In hac autem disputatione de antecedenti sermo est, an ea, sine qua non potest homo operari, alicui denegetur: nam de comitanti nemo dubitat, multis non conceciti: quia gratiæ vocanti, & præuenienti ipsi desunt, & resistunt. Et quando prædicto argumento colligitur aduersarij: Ergo Deus non dat omnibus, quæ necessaria sunt ad operandum, distinguendum est. Sunt enim quædam necessaria ad operandum necessitate antecedenti,

hoc est, ex parte causæ, quæ priora sunt ipso consensu, & hæc sunt vocationes, excitationes, & gratiæ operantes, quæ nemini denegantur, ut hæcenus explicatum est. Alia vero sunt necessaria necessitate comitanti consensum nostrum, quæ simul cum illo requiruntur, & hæc sunt in nostra potestate, ut sequenti disputabitur: de negantur quæ à Deo iis, qui libertate sua nolunt eis adiunari: & huiusmodi sunt gratiæ cooperantes, seu comitantes. Ex hoc autem Deus nihil nocet nostræ libertati, cum in potestate nostra ea posita sint, & ex nostra libertate nobis desint. Quod enim sine illis non possumus operari, perinde est, atque sine nostra libertate non posse: sicut ergo necessitas consequens, aut comitans non tollit libertatem nostram, ut disputat. 68. capit. 4. ostensum est, ita etiam deesse alicui necessaria ad operandum, quæ solum sunt necessaria necessitate comitanti, nihil eius libertati nocet quilibet enim præueniens vocatione, & gratia operanti in sua habet potestate, cum voluerit, comitanti, ut sequenti disputatione, dicemus.

Denegatio gratiæ cooperantis non nocet libertati.

DISPUTATIO XCVIII.

An omnes, qui vocationi consentiunt, peculiari gratia excitentur.

Ex duobus equali gratia excitatis, interdum vnum consentire, alium repugnare reuocantes quidam autumant. c. 1. Præcedens sententia tripliciter intellecta reuocatur, cap. 2. Eum, qui respondet vocationi, maiori gratia præueniente fuisse excitatum, quam eum, qui resistit, tanquam reprobabilior sententia Scripturæ testimonio probatur, cap. 3. Testimonia Patrum pro eadem sententia, cap. 4. Explicatio triplex præcedentis opinionis resellitur, cap. 5. Probabilior eiusdem sententiæ expositio, & confirmatio, cap. 6. Respondetur testimoniis prioris sententiæ, cap. 7. Solutio rationum eiusdem opinionis, cap. 8.

CAPVT I.

Ex duobus equali gratia excitatis, interdum vnum consentire, alium repugnare reuocantes quidam autumant.

Res hæc paucis ante annis à Theol. professoribus in cōtrouersiam reuocata est: quæ licet ab antiquioribus scholæ doctoribus tractata non sit, neque apud eos aliqua illius mentio habeatur: apud Augustinum tamen, qui de necessitate gratiæ differens nullum lapidem intentatum reliquit, præclara de illa extat sententia, quam, si recte intellexerimus, duabus extremis opinionibus reiectis, media via inoffenso pede curremus. Ex quo etiam perspicuum fiet, vtrum cum solo auxilio sufficienti aliquis saluetur, an peculiaris aliqua gratia iis, qui saluantur, semper donetur. Deinde, vtrum initium consentiendi gratiæ, aut dissentendi, ex nobis sumatur, an ex Deo. In qua re iuxta præscriptum Sedis Apostolicæ nulli parti notam inuens, nihilque interiri præiudicans, sed eiusdem Sedis de finitionem humiliter expectas, quid mihi probabilius, & doctrinæ patrum magis consentaneum videatur sincere pronuntiabo.

Quorundam igitur Theologorum sententia H h h 4 est,

est, ex duobus equali gratia excitatis, nonnunquam vnum conseruare, alterum reniti vocationis, quæ ita totam differentiam inter eum, qui consensit, & eum, qui repugnat, putant esse ex parte gratiæ comitantis, & cooperantis, quam quisq; semel excitatus gratiæ præueniente, & operante, in sua habet potestate. Cui sententiæ fauet Catherinus, & qui scientiam futurorum sub conditione Deo negant, vt c.6. notabimus. Quocirca affirmant, interdum contingere, vt qui maiori gratiæ fuit vocatus, resistat, qui vero minori, consentiat. Subiungunt deinde, homines non paucos cum sufficienti, & communi gratiæ altitudine, id quod ex priori fundamento deducitur. Probat vno hanc sententiam primo ex August. 12. de ciuit. c.6. vbi ita scribit: Si enim aliqui duo æqualiter affecti in animo & corpore, videant vnius corporis pulchritudinem, quæ visæ vni eorum ad illicitè fruendum moueatur, alter in voluntate pudica stabile perseueret, quid putas esse causam? & cum multa causas, quas aliquis assignare posset, ipse August. articulit, & inter eas inspirationem Dæmonum connumerasset, cæteris reiectis, propriam expressit his verbis. Quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere? Diuersitatem igitur euentus in liberatè vniuscuiusque refert, non in peculiarè aliquam gratiam præuenientem.

Secundo confirmant ex eodem Augusti. lib. de
prædestinat. & gratia. cap. 15. vbi de Nabuchodonoso-
fore, & Pharaone inquit: Quantum ad naturam am-
bo homines erant, quantum ad conditionem ambo reges
erant, quantum ad causam ambo captiuium populum
Dei possidentes, quantum ad penam ambo flagellis cle-
menter admoniti: quid ergo fecit fines eorum esse diuer-
sos nisi quod voluntas: Dei sentiens in recordatione
proprie iniquitatis ingemuit: alter libero coram miseri-
cordissimam veritatem pugnavit arbitrio: Nullam ergo
aliam causam diuersi effectus assignat, quam
libertatem arbitrij.

Tertio ex Hieronym. in epist. 150. quæ est ad Hedibiam q. 11. ubi explicans illud ad Corinth. peris esse vitæ in vitam, &c. ait: Ideo odor noster, qui vel bonus est, virtute eorum, & viri, qui suscipiunt, siue non suscipiunt, in vitam transit, & mortem, &c. Quod si ex peculiari aliqua gratia proveniret, prædicationem Pauli quibusdam esse odorem vitæ, & ex defectu illius alius esse odorem mortis in mortem, desideratum illam non virtuti, & vitio eorum, sed gratiæ peculiari, aut negationi illius tribueret. Demum ratione probatur. Nam si Deus in nobis incipiat, etq; priores partes boni operis adscribamus, nihil aliud requiritur, quàm vocatio, quæ posita, nihil videtur aliud superesse, quam consensus noster, quo sequimur vocantem: hic autem in nostris positus est libertas, sicut etiam dissentire: ergo non repugnat, stante eadem gratia vocationis, vnum consentire, & vocantem sequi, alium vero repugnare. Ex quibus inferunt etiam illud, quod initio capit. rectius, videl. cum sufficienti auxilio, & communi, aliquos saluati, imo etiam cum minori, quam confertur aliis, qui damnantur.

Porro cum communi, & sufficienti solum aliquos saluari, probat; quia cum illud & sufficiens, tribuet facultatem operandi, frustra autem est facultas, & potentia, quæ non exit in actum, saltem in aliquo opinione: aliquis igitur cum eo solo saluabitur. Hanc opinionem indicare videtur Dominicus Sor. lib. 1. de natura & gratia ca. 16. & Andreas

de Vega lib. 6. super Conc. ca. 9. docent enim non omnes, quibus Deus magis fuerat gratia sua excitante, & praeueniente, conuerti: contra vero penullos, quos minori gratia praeuenit, saluari. Affert exemplum Tyri, & Sidonis, quibus fit signa, quae Bethsaida exhibita fuerunt, concederentur, penitentiam agerent, vt testatur Chridus Matt. 11. Addunt tamen eos omnes, quibus Deus magis fuerat gratia sua adiuvante, & comitante, semper melius operari. His etiam addit Ioan. 4. *noniam in opusculo de libero arbitrio*. Ex his autem multis, ubi inquit in ea quaestione, quare ex duob. audientibus idem verbum, vnus conuertatur, alius non, non esse cōsuegendum ad illam solutionem, quia vnus tractus fuit à Patre, alius non: neq. ad illam, quia Deus vult vnum conuerti, alium non: quod vni vsu est conuerti, alij vero nō est vsu.

C A P V T II.

*Præcedens sententia tripliciter intellectu
reñcitur.*

Qui hanc sequuntur opinionem, non eodem modo eam intelligunt, quare nec eodem modo impugnanda est. Referemus igitur in hoc capite modum peculiarem, quibus propugnationis defendi solet, & quid in eis nobis non prodebit, paucis indicabimus. Id enim in quo omnes conveniunt, nempe eum, qui respondet vocanti, non semper maiori gratia praevalenti excitari, sequentibus capitibus nostram comprobantes sententiam refutare decrevimus.

Quidam ergo prædictam opinionem ita intelligunt, vt respondere Deo vocanti nõ tantum sit à libero arbitrio; sed etiam à gratia; prima tamen origo; & causa determinationis ad consensum sit voluntas creata, ad quam Deus se accommodans gratia sua cooperatur. Verum hoc manifeste confutabimus disp. seq. cap. 3.

Alii secundo intelligunt, non solum voluntatem creatam esse primam causam, & originem determinationis liberæ, verum etiam liberum consensum ex illa solum pendere. Qui sane Doctores, cum gratiæ Dei primas partes tribuant, optant nihilominus gratiam Dei solum ad vocandam, & excitandam voluntatem deferunt. Hic enim modus explicandi, expressis Patrum testimoniiis refelli potest. In primis quidem in 2. Conc. Arauc. cap. 9. dicitur. *Quoties bonum operamur, Deus ad nos, atque nobiscum, ut operemur operatur.* Gratia igitur Dei non solum in notis operatur prævidentiis, sed etiam nobiscum cooperatur comitando, & hoc quoties bonum agimus, ad quod gratia Dei indigemus. Secundo idem probatur ex Aug. locis omnibus à nobis cit. in disp. 88. cap. 7. quibus distinguit ille gratiam operantem à cooperante, & utramque explicat. Tertio ex Pross. ad Capitula Gal. lorum cap. 6. & 7. Quarto ex Fulgent. lib. 1. ad Marcellin. cap. 14. & Bernard in epist. de Gratia & lib. arbit. cum testim. in illa disput. cap. 6. citant Affirmant enim, nostrum tantum esse differentie gratiæ: ac consequenter, nostrum esse, & cælestis patris auxilij Pross. bat Fulgentius ex illo ad Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis & velle.* & persue pro bona voluntate. Et ex Eccl. 26. *Faciam, ut in iustificationibus meis ambulat.* Nam epist. co-

Demum ratione confirmatur. Nam
sentit vocationi praeuenienti, ab ipsa vocatione,
recognita allicitur, & attrahitur: virtute igitur
lius ei consentit, & operatur. Quocirca in his effe-
ctibus

actibus & operibus, in quibus necessaria est gratia praeueniens, consensus voluntatis, ipse vocatiōi praeuenienti tribuendus est simul, & voluntati; cum ab utroque proficiatur affectus. Et ideo in ea disp. cap. 6. notauimus, eandem omnino vocationem esse gratiam praeuenientem, & comitantem operantem, & cooperantem: nam quatenus praecedit consensus est operans, & praeueniens: quatenus vero à nobis consensus elicit, est cooperans, & comitans.

Nec solum haec ratio probat consensus voluntatis esse ab ipsa voluntate, & à gratia simul in hominibus post lapsum naturam, verum etiam in integra natura, & in Angelis. Enimvero in his omnibus, quoties gratia praeuenit ad aliquod opus, non elicitur consensus, nisi in virtute vocatiōis & cogitatiōis praecedentis: id quod expresse tradidit nobis Aug. lib. de correptione & gratia ca. 1. vbi de primo homine sic ait: *Istam gratiam non habuit primus homo quia nunquam velle: esse malus; sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset.* Atque inde assignat differentiam inter gratiam illius status, & eam, quam nos per Christum recipimus: quia illi receperunt gratiam, cum qua possent, & sine qua perseverare non possent, non tamen gratiam cum qua perseverarent: nunc autem per Christum gratiam recipimus, cum qua perseveramus. Sentit igitur Aug. in statu quoque naturae integre esse gratiam peculiarem, cum qua quis perseveraret, & ita ipsum consentire velle, & operari non solum voluntati, sed etiam gratiae esse tribuendum. Idem docet de Angelis. Et sane nullus haecenus ex Pelagianis, aut ex reliquiis Pelagianorum fuit, qui concedens gratiam praeuenientem, & operantem, negaret gratiam cooperantem & adiuvantem ad idem opus, & consensus, ad quem gratia operans, & praeueniens daretur: est enim contra manifestam rationem, quam proxime confestim, asserere; dari ad aliquod opus gratiam operantem, & praeuenientem: non tamen adiuvantem, si consensus sequatur.

Ceterum aliqui recentiores qui putant, ipsum consentire in Angelis, & in homine in statu integre naturae non esse ex gratia, sed ex solo libero arbitrio, obiciunt, nobis Aug. lib. de correptione & gratia cap. 1. vbi de primo homine sic ait: *Namque ut bonum reciperet, gratia non egebat.* Unde colligunt, ad consentiendum gratiae vocanti non indiguisse auxilio eiusdem gratiae: Idem enim videtur esse recipere bonum, atque bonae vocationi consentire. Verum ea, quae continuo subiungit Augustinus, hanc obiectionem de medio tollunt: reddit enim rationem his verbis: *Quia nondum perdididerat. Ut autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiae, siue quo id omnino non posset, & acceperat posse, si vellet, sed non habuit (hoc est non accepit) velle, quod posset: nam si habuisset, perseverasset.* Asserit igitur Aug. ideo primum hominem ad recipiendum bonum non indiguisse gratia, non quia gratiae vocanti ex solo lib. arbitrio respondere posset, sed quia iam per iustificationem, in qua à Deo creatus erat acceperat bonum, ideo ad recipiendum bonum non indigebat (inquit ille) noua gratia; quia bonum quod in iustificatione receperat, adhuc habebat, & nondum perdididerat. At, ut in eo bono quod per iustificationem receperat perseveraret; plane docet Augustinus, indiguisse primum hominem noua gratia, & auxilio, illudque solum recepisse, quo posset perseverare,

non autem illud, quo actu perseveraret. Sentit igitur ex ipso auxilio procedere, non solum posse, sed etiam actu perseverare: hoc vero sine consensu non fit: ergo & consensus ipse in eo statu ex ipsa met gratia esset. Idem autem esse apud Aug. non habere, & non accipere à Deo, patet ex cap. 10. illius libri, nam de eodem primo homine inquit: *Non ergo habuit in illo bono perseverantiam, & si non habuit, non vique accepit.* Capite etiam 12. plane docet primo homini datum fuisse adiutorium perseverantiae, quo posset perseverare, non quo perseveraret. Id ipsum dixit Anselm. lib. de casu diaboli à 1. cap. vsque ad tertium, atque in illo cap. 1. intellexit illud 1. ad Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* non solum de hominibus verum etiam de angelis. Immerito igitur aliqui volunt, ipsum consentire gratiae vocanti in Angelis, non esse ex gratia ipsa, sed ex solo libero arbitrio.

Obiciunt rursus illa verba eiusdem Aug. in illo cap. 11. *Dederas (scilicet primo homini) adiutorium sine quo in ea (scilicet iustitia) non posset permanere, si vellet: ut autem vellet, in eius reliquit arbitrio.* Verum his verbis non solum significat, liberum fuisse primo parenti, gratiae vocanti, ipsa etiam gratia adiuvant, respondere: nam ut docet Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. liberum est cui gratiae vocanti consentire, eidem repugnare: id quod de congrua etiam vocatione intelligitur: quanto magis de vocatione congrua, & solum sufficiente, quae primo homini in eo statu concessa est. Ex hoc autem, quod homini liberum sit consentire gratiae vocanti, non excluditur ipsius gratiae cooperatio ad consensum: alioqui idem de homine post naturam lapsum dicendum esset, quod aduersarii non concedunt.

Tertio allegant eundem Augustinum. cap. 10. eiusdem libr. vbi inquit: *Sic ordinasse (Deum scilicet) Angelorum, & hominum vitam, ut in ea primum ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratiae beneficii, iustitiaeque iudiciū.* Sed si haec verba eorum sententiae quadam tenus fauent, nimirum probant, nempe primas partes in eorum iustificatione libero arbitrio esse deferendas. Quare respondeo, Aug. solum significare voluisse, Deum reliquisse primum hominem & multos Angelos libi in peccatum, ut ita illis ostenderet, quid eorum posset arbitriū, nempe peccare. Deinde in homine ostendit beneficium gratiae suae, in Angelos vero iustitiae suae iudiciū: & haec satis de secundo modo explicandi priorem sententiam.

Tertius modus est quorundam Theologorum nostri temporis, qui ut praedictam sententiam tueantur, adiuvant, consensus voluntatis simul esse à libero arbitrio, & à gratia non solum tempore, sed etiam causalitate. tamen ex parte gratiae excitantis, & praeuenientis aliquando reprobum esse aequalem cum praedestinato, nec peculiare beneficium gratiae recipere. In quo modo superest solum, ut impugnemus id, in quod omnes, qui hanc sequuntur opinionem conspirant, scilicet ex duobus aequali gratia vocatis, interdum vnum consentire, alterum repugnare. Nam quod attinet ad cooperationem consensus, recte docent, qui hoc tertio modo praedictam sententiam intelligunt. Ceterum id, in quo omnes conveniunt sequentibus capitibus veriore opinionem confirmantes; refutabimus.

nam, qui respondet vocationi, maiori gratia præueniente fuisse excitatum, quam eum, qui resistit, tanquam probabilior sententia Scriptura resistens probatur.

*Driedo.
Ruard.*

Plures Theologi nostræ ætatis, quibus fauent Driedo. & Ruardus cap. 6. à nobis allegandi, multo probabilius absolute cum Aug. pronunciant, & pro vitibus defendunt, omnes, qui vocationi respondent, maiori antecedentis gratiæ beneficio fuisse excitatos, quam eos, qui gratiæ præuenienti resistunt. Itaque in iis, qui consentiunt, & in omnibus prædestinatis gratiam operantem præuenientem, & excitantem maiorem esse, quam in aliis; atque ex duobus, quos æqualis gratia præuenit, nunquam unum consentire existimant, altero repugnante: Quare censent inter eum, qui respondet, & eum, qui resistit, non solum esse discrimen ex parte gratiæ cooperantis, & comitantis, sicut affirmant Doctores prioris sententiæ; sed etiam ex parte gratiæ operantis: præuenientis, & excitantis. Pro hac opinione sunt non obscura Scripturæ & Patrum testimonia, efficax quoque ratio eam suadet. Claritatis tamen maioris gratiæ, testimonia solum Scripturæ in hoc capite profereamus.

Vera sententia probatur primo. Ioan. 6. Augustin.

Primum testimonium est Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: ubi Deo peculiari modo voluntatem disponenti tribuitur, quod aliquis ad filium trahatur. Ita intelligit hunc locum Augustinus libro contra duas Epistol. Pelagianorum cap. 2. ubi notat idem esse, Nisi Pater traxerit eum, atque id, quod eodem cap. 6. Ioan. dicitur. Nisi ei datum fuerit à Patre meo. Reddit rationem his verbis: Ille quippe trahitur ad Christum, cui datur, ut credat in Christum: hic autem solum est ille, qui vocanti respondet: huic ergo aliquid donatur à Deo, quod alteri, qui non respondet, non tribuitur. Porro autem peculiare aliquid gratiæ præuenientis concedi ei, qui trahitur, inducat Augustin. explicans eundem locum cap. 19. illius li. cum ait: Trahitur ergo miris modis, ut velit ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari: non, ut homines (quod fieri non potest) nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Nam si miris modis Deus operatur secundum præscientiam suam intus in cordibus eorum, qui vocationi acquiescunt, consequitur, Deum non æqualiter operari gratia sua præuenienti in cordibus eorum, qui resistunt, & eorum, qui vocationi respondet: siquidem in cordibus eorum, qui resistunt non operatur præueniens miris illis modis. In eandem sententiam explicat illud eiusdem, 6. cap. Ioan. Omnis, qui audiuit à Patre & digne, venit ad me. in libr. de prædestinatione Sanctor. cap. 3. ex quo aliqua inferius citabimus. Atque eodem spectat testimonium Prosperi, quod cap. seq. referemus.

Secundo probatur ex illo ad Rom. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, & Matth. 11. Confiteor tibi Pater Domine celi, & terre, qui abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te. Frustra enim ita diceretur, si is, qui responder, non maiori gratia operante excitaretur, quam ille, qui resistit. Nam ex parte Dei operantis æqualis esset in ambos

gratia, ac proinde omnis causa admirationis celsaret, nec in solam Dei voluntatem reuocanda esset.

Tertio, nisi Deus maiori gratia præueniret eum, qui respondet, non diceretur vnus potius misereri, quam alterius, & vnus potius obdurare, quam alium: atqui ad Rom. 9. inquit: Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. Ergo qui peculiari misericordia vnus excitat, quam alteri non concedit, illius dicitur misereri, non alterius. Quem locum tractans Aug. lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. circa medium de his, qui à Deo vocati sunt, sed non elechi, nec misericordiam consequuti, sic ait: Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illa quæstio esset, ut & moueretur, & intelligeret, & sequeretur, & paucis interiectis. Cuius autem miseretur, sicum vocat, quomodo sit ei congruens, ut vocantem non respiciat. Cum ergo Augustin. dicat eorum misereri Deum quos vocatione congrua excitat, & aliorum non misereri, imo potius secundum Apostolum eos obdurare, efficitur non alia ratione id dictum esse, nisi quia eis, qui respondent, peculiari, & maiori gratia operante, quæ maior dicitur, misericordia confertur. Nam si æqualiter omnes Deus præueniret, & deinde vnus pro sua liberate ex illa gratia operaretur, alius vero repugnaret: non magis vnus, quam alterius miseretur. Siquidem illa diuinæ gratiæ cooperatio est in potestate cuiusque, quam semel à Deo excitatus, prout voluerit, habere potest. Porro misericordiam, quæ Deus dicitur vnus misereri potius, quam alterius; non referre ad gratiam cooperantem, sed ad præuenientem, testimonia citata manifeste demonstrant. Probatur etiam qui cum dicit Paulus, Non volentis, neque currentis, nostram excludit cooperationem: addit enim, Sed miserentis est Dei. Ac si dicat, solius Dei miserentis est. Quocirca merito ibidem Augustin. refellit explicationem Nazian. orat. 31. & Chrysostomi, & Græcorum patrum in eam locum qui censent, ideo dictum esse, Non volentis, neque currentis, quia sola voluntas nostra non sufficit. Eandem etiam impugnant in Enchirid. cap. 32. ut in disput. 88. cap. 8. notauit. Subiungit autem in ea quæ ad Simplician. hæc verba: Non igitur ideo dictum, est præueniendum; Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci, quod volumus, sed ideo potius, quia nisi eius vocatione non volumus. Refert igitur misericordiam Dei, quæ negatur reprobis in vocationem, non in cooperationem: & infra Item verum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur quos ita vocat, quomodo eis vocari autem debet, ut sequantur. Demum idem Augustin. in ea quæ ad Simplicianum ante medium ait. Non enim cum sit præueniens, ut crederet, qui miseretur inspirando spem, cuius miseretur est, ut adhuc infidelis vocationem imperaret. Constituit igitur Augustinus misericordiam Dei in vocatione ipsa, & inspiratione, quæ pertinet ad gratiam præuenientem, quomodo autem misericordia Dei ex mente Augustini solum dicitur, qui respondent, cap. seq. dicemus.

Vtroque vero Pauli testimonio vsus est Augustinus Epist. 105. ante medium, ut ostenderet, quæ sit causa, cur vnus respondeat, alius autem resistat. Cur autem (inquit) ille credat, ille non credat? cum ambo idem audiant, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem videant, altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, cuius infinita sunt

indicia, dum cuius vult miseretur, & quem vult indu-
rat. Idem profus habet libr. de bono persever.
Quod si aduersariorum sententia vera esset, mani-
festa huius differentie causa assignari posset, quia
nimirum, unus consentit pro libertate sua adiutus
gratia, alius eidem gratia repugnat. Refert autem
Augustinus causam huius in abscondita Dei indi-
cia, quia inde solum provenit, unum ita vocari, ut
respondeat, atque eo ipso illius dicitur misereri
Deus. alium vero ita, ut non respondeat, & ideo
dicitur Deus illius non misereri.

homo peccat etiam electus, deesse illi certam il-
lam scientiam, & victicem delectationem: non
est igitur equalis exercitatio ex partes intellectus,
& primi motus voluntatis in eo, qui respondet,
& in eo qui resistit. Dixerat enim Aug. in eo libr.
cap. 17. omne peccatum provenire ex defectu cer-
te scientia, & victicis delectationis his verbis:

*Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere
nunc scit, nunc nescit, nunc non delectatur, ut noverit, non
sua facultate, sed divini muneris esse, vel quod scit, vel quod
delectatur. Certe non loquitur de delectatione,
quæ iam est cum consensu, ut ex prædictis liquet,
sed de ea, quæ simul cum congrua cogitatione
Deus affectum nostrum ita disponit, ut consen-
sum ab eo eliciat; ex cuius defectu peccatum pro-
cedit, ut ipse testatur.*

Secundo probatur ex eodem Aug. libr. de prædest. *Aug. in
Sancti. cap. 6. ubi sic ait: Multi audiunt verbum verita-
tis sed alij credunt, alij contradicunt, volunt ergo isti, no-
lunt, autem illi: quis hoc ignorat? sed cum aliis præparatur,
voluntas, aliis non præparatur, discernendum est, quid ve-
niat de misericordia, quid de iudicio. Assignat ergo dif-
ferentiam ex parte diuinæ præfinitionis, quia Deus
vnius præparavit, & præfinit voluntatem, media
congrua vocatione, alterius vero non præparavit,
& in priori misericordiam agnoscit, in posteriori
vero iudicium. Ut autem ipse Aug. expresse nota-
vit Epistola 107. post medium, voluntas per occultam
inspiracionem præparatur: inspiratio vero est
gratia operans, & præueniens, ut supra diximus
disput. cap. 88. 9. & iterum in eadem Epist. inquit,
per gratiam Dei antecedentem præparari volun-
tatem: ergo inæqualitatem agnoscit Aug. non so-
lum in cooperatione gratia: sed etiam in ipsa gra-
tia antecedenti: ut maior sit in eo, qui respondet, ea
vero ex iudicio denegetur, ei, qui non respondet,
& ita in eo minor sit. Misericordia autem apud
Aug. non est, quæ conceditur quævis gratia, sed
quæ conceditur efficax gratia. Nam in libr. 1. ad
Simplicianum qu. 2. ut vidimus capit. præceden. in-
quit, eorum Deum misereri, quos vocat congrua
vocatione, quæ efficax est, id quod ex toto illa
quæstione manifeste patet: in tempore autem, &
donatione ipsa gratia, hanc differentiam con-
stituit Prosper in lib. ad excerpta Genuensium, ad tertium
dubium explicans hunc Aug. locum, qui Genuen-
sibus visus fuerat difficilis, his verbis: Nuncquid du-
bium est, cum verbum veritatis prædicatur, alios voluntate
non credere? sed cum illorum cor Deus aperuerit, illorum
autem non aperuerit; discernendum est, quid veniat de mi-
sericordia, quid de iudicio.*

Eodem pacto idem Aug. eo libr. cap. 8. post me-
dium hanc differentiam ostendit in ipsa divi-
sione gratia: quæ fit in tempore, hoc modo: Cum legi-
tur Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non
credunt. Sed cui credunt prædicatori forissecus sonant,
intus à Patre audiunt, & discunt, qui autem non credunt,
forissecus audiunt, intus autem non audiunt, neque; dis-
cunt. Explicans autem, quid sit intus audire, sub-
iungit, Hoc est illis datur, ut credant: illis non datur: quia
nemo (inquit) venit ad me, nisi Pater qui misit me, tra-
xerit eum. Quid quæso est, dati alicui, ut credat,
& alteri non dari, nisi sonum internæ inspira-
tionis ita viuis intellectui aptari, ut audiat &
credat: altero vero non aptari, ex quo fit ut non
credat, nec audiat: Hæc autem diuersitas vocatio-
nis à solo Deo est, qui novit vno & alio modo
vocare. Quis autem dicat eum, qui non accepit.

Postremo illud quod Baruch. 3. dixit de gigan-
tibus, quos Deus non elegit, ad omnes reprobos
optime potest accommodari. Non hos (inquit) elegit
Dominus, neque vitam disciplinæ invenerunt, propterea
perierunt: & quoniam non habuerunt sapientiam, interie-
runt propter suam insipientiam. Nam quamvis non
omnis, qui peccat, ex ignorantia peccet, sapientia enim
tamen talem patitur defectum considerationis, ut
quamvis ex eo libertas eius non impediatur, ve-
ratamen sapientia dicatur carere. Sapientia enim
ea cogitatio est, quæ ita rem apprehendit, & con-
siderat, ut affectum ad recte operandum moveat.
Hunc autem defectum in omnibus, qui peccant;
reperi, dubium non est, teste S. Thom. 1. 2. qu. 77.
art. 2. ubi ibidem fufius tractabimus. Idcirco
scriptura cæcum appellat eum, qui male opera-
tur: imo & Arist. 3. Ethic. capit. 1. ait: Omnis igitur præ-
paratur, quæ agere oportet: hoc est, non attente
considerat, quæ sunt agenda. Est igitur inæquali-
tas ex parte cogitationis, quam Deus pro volun-
tate sua disponit, & capit. 7. huius disputat. ostend-
emus.

CAPUT IV.

Testimonia Patrum pro eadem sententia.

Si diligenter scripta Aug. evolvamus, non so-
lum competemus prædictam opinionem ei
semper in ore, semper in corde fuisse, verum et-
iam contra Massilienses eam acriter propugnasse,
vnde quoque intelligamus, quanti apud nos ef-
fe debeat: quando August. causa contra Massilien-
ses gravissimis Ecclesiæ Patribus, & Pontificibus
admodum probata fuit, ut disput. 19. capit. 5. mon-
stravimus. Sunt igitur præclara Aug. testimonia,
quibus non obscure hanc nostram sententiam
tradidisse videtur.

Primum testimonium fit ex libr. 2. de peccat.
mer. & remiss. capit. 19. ubi ita scribit. Nos autem,
quantum concessum est, sapiamus, & intelligamus si possu-
mus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctus suis alicu-
ius operis instituit aliquando non tribuere, vel certam scien-
tiam, vel victicem delectationem, ut cognoscant non à se
ipsis, sed ab illo sibi esse lumen, quæ illuminentur tenebræ eo-
rum. & sanitatem, quæ dei fructum suum terra eorum.
Appellat certam scientiam, congruam cogitatio-
nem, & considerationem eius, quod agere oportet,
ut disput. 88. cap. vlt. diximus: victicem etiam
delectationem, vocat affectum, qui ex hac scientia
subito procedit, & quo allicitur voluntas, ut voca-
tioni libere consentiat; quæ duo ad gratiam ope-
randam, excitantem, & prævenientem pertinere
eadem disput. cap. 4. monstravimus. Ait ergo Aug.
hanc gratiam operantem negari interdum à Deo
suis electis, cum scilicet finit eos in peccatum labi,
ut ducant esse donum Dei, existimat itaque eum

centiæ primis parentibus concessa fuit, licet illa fuerit lætior. Illa enim in eo statu absque vlla passionum rixa, & perturbatione fuit effectum tamen perseuerantia non habuit: nunc autem cum magna pugna passionū facit, vt prædestinati perseuerent. Sentiebant itaque Massilienses, communem esse gratiam præuenientem, qua omnes per singulas occasiones excitantur, vt perseueret: neque peculiarem esse in iis, qui de facto perseuerant: quia alioqui si hanc peculiarem gratiam illi solum haberent, qui perseuerant: efficeretur, nullum sine illa posse perseuerare, & nullum cum illa posse non perseuerare. Vnde inferebant, omnem correptioni, & comminationi præcludi viam, & desperationem quandam induci.

Verum enim vero nullam Aug. desperationem, aut necessitatem induxit. non enim dixit, sine peculiari gratia neminem posse perseuerare, sed neminem sine illa perseuerare. Distinxit vero aliam communem, cum qua dixit, hominem posse perseuerare, & sine ea perseuerare non posse. Quod si diceret sine illa speciali gratia neminem posse perseuerare, non de impossibilitate antecedenti, quæ est ex parte causæ, sed de cōsequenti, quam secum affert præcipientia euentus futuri (de qua sæpius dictum est) intelligendus esset. Quæ quidem impossibilitas, sicut etiam consequens necessitas, nec tollit, nec lædit libertatem nostram, sed eam supponit.

Hoc sensu aperte loquitur Aug. lib. de bono perseuer. cap. 6. vbi respondens obiectioni illi Massiliensium, quam Hilarius ad ipsum scripserat, inquit: Sed nolant, (vt scribitis) isti fratres, ut hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit: vbi, quid dicant parum diligenter attendunt. De illa enim perseuerantia loquitur, qua perseueratur vsque in finem: quæ si data est, perseueratum est vsque in finem, si autem non est perseueratum vsque in finem, non est data. Et paulo infra, Perseuerant iam vero vsque in finem quoniam non habet quisquam, nisi qui perseuerauerit vsque in finem, multi possunt eam habere, nullus amittere. Et paucis interiectis: cum enim perseuerauerit quisque vsque in finem, nec hoc donum potest amitti, nec alia, quæ poterant ante finem. Docet igitur Aug. impossibile esse, perseuerantiam gratiam amitti, eo sensu, quo dicimus, omne quod est, quando est, non potest non esse, quæ impossibilitas, aut necessitas solum est comitans, aut consequens rem, nullo modo contraria libertati, vt sæpius dictum est.

Atque de eadem tantum necessitate cōsequenti videtur loquutus Cælestinus episcopus. 1. ad Episcopos Gallie can. 7. cum ait, neminem etiam baptizatum, idoneum esse ad superadā diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. Atqui teste August. lib. de bono perseuer. cap. 1. & 6. perseuerantiam, quod & ipsum nomen indicat, nullus habet, qui de facto non perseuerat, etiam si si habeat, vnde perseuerare possit. Cum igitur Cælestinus ait, neminem esse idoneum, hoc est, neminem posse superare tentationes, nisi habeat donum perseuerantia, non de possibilitate antecedenti, sed de sequenti debet intelligi. Nam si de antecedenti sit sermo, cum auxilio sufficienti, quod non dicitur perseuerantia, vel perseuerantia donum, quisque perseuerare potest, & tentationes omnes superare.

Vasquez in 1. pars Tom. I.

Eodem modo intelligendus est Innocentius 1. in epist. 91. apud August. quem refert Cælestinus in eo can. 7. cum ait. Quibus (scilicet auxiliis quotidianis) nisi freti consisquē nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necessē est enim, vt quo auxiliante vincimus eo iterum non adiuuante vincamur. Quare verba de auxilio efficaci, & congruo sunt intelligenda. Cum enim ait, Deo non adiuuante, significat Deo permittente. Deus autem permittere dicitur, non quod sufficiens auxilium neget, sed congruum. Dicit ergo, necesse esse nos vinci, si congruo destituamur auxilio, & speciali illo dono perseuerantia necessitate solum sequenti, non accedenti. Nam de antecedenti placet Conc. Trid. sess. 6. capite 5. ita nos gratia vocanti respondere, vt ei repugnare possimus. Denique quamuis prædestinati possint antecedenti possibilitate perseuerare, & vocationi resistere, eam tamen peculiarem gratiam, qua Deus eos præuenit, non possunt non habere, cui oppositum Massilienses insinuare videbantur. Habemus igitur ex sententia Augustini, Cælestini, & Innocentij in eo, qui perseuerat, specie donum perseuerantia reperiri, ac proinde maiori gratia semper excitari, quam cum, qui vocanti non respondet; & oppositam sententiam, quam nonnulli Scholastici sequuntur, Massiliensibus quondam placuisse.

Quod vero illi Massilienses contra August. inferebant, correptionem scilicet, & comminationem nihil prodesse: nullus est momenti, vt ostendimus disput. 9. 1. cap. 18. Prosequitur autem Aug. contra Massilienses libro illo de bono perseuerantia cap. 15. & 22. quo pacto ij, qui perseuerant, acceperint gratia adiutorium peculiare, quod aliis non fuit concessum, quod appellat adiutorium gratia miserantis.

Accedit Prosper, & ipse per omnia Augustinianus in lib. 2. de vocat. gent. cap. 23. alias 8. qui ostendens, eandem esse electionem inter adultos, & inter paruulos, vt quibudam detur gratia electionis, quibudam non detur sola Dei voluntate, sic ait: Sicut autem circa maiores, præter illam generalem gratiam parcius, atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largitiore munere, potentiore virtute, vocatio specialis exercetur: ita etiam circa innumeros paruulos eadem manifestatur electio. Sentit igitur electis adultis excellentius opus, maius munus, potentior in virtutem, vocationemque specialem concedi. Et in lib. ad capitula Galorum cap. 5. vbi Galli hanc obiciunt Aug. propositionem tanquam absurdam, quam ex illius scriptis colligebant. Quod qui vocati sunt, non aequaliter sint vocati, sed alij, vt crederent; alij, vt non crederent. Respondet Prosper his verbis: Si vocatio in Euangelij tantum predicatione intelligatur, non veraciter dicitur, quod alij, atque alij aliter, atque aliter predi- cetur, cum vnus sit Deus, vna fides, vna regeneratio, vna promissio. Si autem ad effectum plantationis, & rigationis aspicitur, aliud actum est cum eis, quorum exteriores aures corporali voce pulsate sunt: aliud in eis, quorum interiorem sensum Deus aperuit, & in quorum corde posuit fidei fundamenta, &c. De quo iterum cap. huius disputationis.

His omnibus addere possumus præclarum Apertum S. Thomæ testimonium 1. 2. quæst. 112. artic. 4. S. Thom. testatur, cum quæreretur, an gratia sit maior in vno, quam in alio; Respondet, esse quidem maiorem: loquitur autem de gratia habituali, cumque assignasset,

Alius Innocent. locus explicatur. Cælestinus 25.

Con. Trid.

26. Diuisio gratia in sufficientem & efficacem, & abstrahitur ex Prosper.

Apertum S. Thom. testatur.

ut causam huius inæqualitatis diuersitatem dispositionis, qua ad gratiam præparamur, subdit hæc verba: *Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio huius diuersitatis, quia preparatio ad gratiam non est hominis, nisi inquantum liberum arbitrium eius præparatur a Deo. Unde prima causa huius diuersitatis accipienda est, ex parte ipsius Dei, qui diuersimode sua gratia dona dispensat.* Cum igitur S. Doctor non solum velit concedere inæqualitatem in ipsa actuali dispositione, in quam est gratia cooperans, sed in largitione etiam donorum, quibus arbitrium præuenitur, plane indicat, in gratia præuenienti inæquales eos fuisse, qui inæqualem gratiam habitalem consequuntur.

CAPVT V.

Explicatio triplex præcedentis opinionis refellitur.

ANequam non obscura ratione prædictam sententiam confirmem, operæ precium duxi, verum illius sensum exponere. Aliqui enim mentem Aug. ex quo illa desumpta est, non assequuti, ita eam sunt interpretati, ut permixtis, & doctis viris nimium seueris, & à veritate aliena visa fuerit. Quatuor igitur modis eam explicare possumus: sed postremus sensus illius amplectendus est, & ratione demonstrandus. Quare alios tres in hoc capite refellere, necesse erit.

27.
Prima explicatio.

Primo igitur quidam prædictam sententiam ita intelligunt, ut affirmant primum, cum illo solo auxilio, quod appellatur sufficiens, nullum respondere posse, nihil ei efficax concedatur; deinde addunt, concessio illo efficaci, ita voluntatem ad consentiendum moueri, ut ei dissentire non possit. Quæ sane interpretatio, si de auxilio gratiæ præuenientis, & excitantis intelligatur, & de impossibilitate antecedenti, quæ est ex parte causæ, ut recentiores intelligunt, mihi semper admodum difficilis visa est. Ex priori namque parte eius sequi videtur primum, frustra illud appellari auxilium sufficiens, si cum eo voluntas ex se non potest velle, & operari: præterea eo solum concessio non esse positum in voluntatis libertate consentire, aut dissentire: siquidem sine alio efficaci, & congruo voluntas moueri non potest impossibilitate ex parte causæ.

28.
Eiusdem.

Refellitur.

At respondent aliqui, si homo vteretur bene auxilio illo gratiæ sufficienti, Deus concederet illi peculiare illud, quod efficax appellatur. Verum hoc responsum facile refelli potest. Nam si homo vteretur bene auxilio illi sufficienti, iam illi consentiret, & vocationi responderet, aut effectui proficundo, quod vocatio proponit proficundum; aut fugiendo, quod admonet esse fugiendum: & utroque modo nihil superesset faciendum pro illo opere, quod proponeret vocatio, & auxilium sufficiens, nec pro illo iam amplius efficax auxilium necessarium esset. Nam si ei, qui primo auxilio bene vtitur, conceditur aliud secundum, illud sane ad illud opus, non ad idem conceditur. Cum autem inquirimus, utrum ei, qui responderet, detur peculiaris gratia, quæ non tribuitur alteri, qui non responderet, an non de auxilio gratiæ per singula opera, ad quæ necessaria est gratia, intelligimus: in singulis igitur illud est peculiare, & efficax, cui voluntas consentit, diciturque congrua

vocatio: illud vero sufficiens tantum, cui respondere potest, sed non responderet.

Nec minus facile refutari potest, quod in posteriori parte interpretatio huius sententiæ docet. Si enim de auxilio excitanti, & præuenienti, quod non est in nostra potestate, sermo sit, primum prædicta sententiæ potest confutari ex Concilio S. nonensi, celebrato anno 1528. cap. 15. ubi ita scribitur: *Nec tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non slet ad osium & pulset, cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum. & cenat cum illo: nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei adiutorium, cui resisti non possit.* Vbi plane concilium loquitur de auxilio præuenienti efficaci, cui consentimus: tum quia loquitur de trahenti, tractio autem est efficaciis auxilij. Tum etiam quia loquitur de homine, qui aperit Deo cor per consensum. Explicans autem naturam huius tractationis, inquit statim. *Trahit quidem Deus, sed in eius odorem currimus, non vi, non viuis raptamur.* Atqui applicatio illa, quam prædicta sententiæ adstruere molitur, nihil aliud videtur esse, quam vnus quidam, qui ita nostram apprehendit voluntatem, ut apprehensa non currere, aut se sistere non valeat.

Deinde eadem sententiæ ex Conc. Trid. sess. 6. capit. 5. refelli potest: nam de modo, quo voluntas nostra inspirationi diuinæ assentitur, & cooperatur, sic dicit: *Neque homo ipse nihilominus agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abiciere possit.* Loquitur autem Conc. de illa speciali inspiratione, qua excitantur illi, qui respondent, hanc vero, inquit, ita ab eis recipi, cum ei consentiant, ut illam abicere, eique resistere possint, non consentiendo. Quod si de auxilio gratiæ comitantis, & cooperantis id intelligatur, extra rem, & controuersiam propositam omnino est, neque enim quisquam dubitat, quisquam, cum, qui respondet, quandam gratiam, vel effectum illius habere, quem alius, qui non respondet, non habet, cooperationem videlicet diuinæ gratiæ. Difficultati vero proposita est de gratia præuenienti, an sit peculiaris, & maior in eo, qui respondet, ut consentiat, quam in alio, qui repugnat: asserere ergo huius gratiæ, & inspirationi præuenienti hominem ita consentire, ut eidem resistere nequeat, videtur contra definitionem Concilij Trid. cap. cit. quam expresse Prosper lib. 2. de vocatione gentium, capit. 28. alias 9. cum inquit, *qui (scilicet Deus) ad obediendum sibi, ipsum velle se donat, ut etiam a perseneraturum illam mutabilitatem, qua potest nolle, non auferat.* Oppositum autem huic doctrinæ Prosperi dixit Caluinus l. 2. instit. c. 3. ubi ita scribit: *Mouet Deus liberum arbitrium, non ut multis seculis creditum est, ut postea nostra sit electionis motioni Dei aut obtemperare, aut resistere.*

Deinde sequi videtur ex hac opinione, nostram libertatem gratia præueniente lædi, & impediri, siquidem ea posita, non est in nostra electione consentire, & repugnare. Neque enim facis est, si dicatur necessitas illam esse ex suppositione: nam quæritur suppositio talis est, ut nostram libertatem præcedat, & ea posita, non manet libertas: quæ quidem dicitur necessitas antecedens, aut fertur omnino electio, & libertas nostra impeditur, tamen si necessitas, quæ sequitur ex suppositione euentus futuri, ex nostra libertate, cum sit posterior, eam nullo modo lædere possit: quam differentiam late prosequuti sumus disputat. 68. c.

cap. 4. Ex quo etiam inferitur, eos quoque refelli, qui affirmant, posito aliquo ultimo iudicio ex parte intellectus, non posse voluntatem non consentire: hi namque dum eodem modo concedunt necessitatem antecedentem, auferre videntur libertatem.

At respondent intellectum applicari ad illud iudicium ab ipsa voluntate, & ideo consensum natum ex tali iudicio ratione præcedentis applicationis liberum esse. Verum hæc responsio facile confutari potest. Primum quia nullum obiectum in hac vita proponi potest, quod ipsam necessario moueat, ut disput. præced. ca. 4. notatum est. Præterea quamvis voluntas libere applicet intellectum ad iudicandum de hac re, tamen non applicat ipsum libere, ut iudicet pro hac vel illa parte: id enim relinquit intellectui; ergo nondum voluntas decreuit hanc, vel illam partem sequi. Quocirca, si postea posito iudicio peculiari de una parte, iam non posset voluntas resistere: sequeretur, ad eam partem nunquam ex se ipsa fuisset determinatam, sed à iudicio rationis contra suam libertatem moueri; quod est absurdum. Est quidem in doctrina S. Thom. actus quidam intellectus, qui dicitur imperium, vt 1. 2. qu. 17. art. 1. dicemus, quo posito non potest non se qui opus, nisi externum adsit impedimentum: at vero hic actus posterior est electione libera voluntatis, & ex impetu illius oritur, ut dicitur ad 6. pus, sicut ibidem dicemus, ac proinde ex illo libertas nostra nullo modo impeditur; iudicium autem præcedens electionem, nullam esse potest, quo posito consensus voluntatis, & electio necessario sequatur.

Quocirca ego non video, quomodo vera sit eorum sententia, qui dicunt, aliquos in hac vita à Deo ita vocari, ut sponte tantum, non libere respondeant; ut enim infra disput. 99. cap. 8. ostendimus, non potest voluntas in hac vita necessitatem aliquam in consensu præstando pati, quando non videt Deum, neque vocationem ex parte intellectus, neque præfinitionem diuinam. Quam vero necessitatem contrahat humana voluntas ex visione, & vniõne hypostatice, ibid. dicemus.

Secundo modo explicari potest præcedens opinio, ut semper peculiaris gratia præueniat eam, qui respondet, non solum peculiaris vocatio ex parte intellectus, & primus motus ineliberatus ex parte voluntatis, verum etiam quædam applicatio efficax, quæ prior sit nostro consensu, & cooperatione, & qua posita nequeat voluntas vocationi dissentire. Verum hanc applicationem impossibilem esse, ostendere curauimus disp. 88. ca. 5. & disput. seq. cap. 3. fusius probabitur. Omnia præterea argumenta, quæ contra præcedentem modum adduximus, contra hunc etiam pugnare videntur. Ex eo namque videtur sequi primum, non posse liberum arbitrium resistere gratiæ excitanti, cui respondemus, sicut dixit Caluinus, contra manifestam definitionem Concilij Trid. Deinde, hac præcedenti necessitate libertatem nostram auferri, ut superius probatum est.

Sed cum testimonio allato Concil. Trid. videntur aduersarij, varie respondent. Primum, liberum arbitrium excitatum, & applicatum libere consentire; quia cum pleno iudicio rationis iudicantis illud bonum non esse necessarium, mouetur, aliter quam à Deo clare viso in beatitudi-

Vasquez in 1. part. Tomus 1.

ne. Ego tamen quero ab eis, an ita moueatur voluntas ex pleno iudicio, ut possit non moueri & resistere, ergo poterit abicere inspirationem, & applicationem, quod aduersarij non concedunt, quia actualis applicatio sine consensu esse nequit, si non potest non consentire, quomodo ergo libere consentit? poterit quidem sponte, sed non libere, quod cum indifferentia esse debet.

Deinde respondent, arbitrium posse resistere, non efficaci gratiæ præuenienti, sed gratiæ inefficaci, & Concilium locutum fuisse de auxilio gratiæ in vniuersum, ita ut posse consentire, intelligatur respectu vnius, posse autem resistere respectu alterius. Hæc tamen solutio eludere videtur verba Conc. loquitur enim Concilium de ea gratia præuenienti, quam homo recipit per consensum, & inquit, hominem ita illam recipere, ut eandem abicere valeat nempe resistendo. Postremo respondent, posse hominem resistere in sensu (ut ipsi vocant) diuino, hoc est, si non præueniatur ea gratia efficaci, at vero in sensu composito, hoc est, ut præueniatur ea gratia efficaci, non posse resistere. Cæterum ex hac solutione, primum sequi videtur, tolli nostram libertatem, ut statim dicemus. Deinde videtur aduersarij sensui Concilij: cum enim Conc. inquit, voluntatem nostram abicere posse inspirationem, de ea intelligit, cui de facto voluntas consentit: ac proinde in sensu composito loquitur.

Porro addendum est, frustra hos Theologos torqueri, in assignanda illa actuali motione, & applicatione voluntatis ad consentiendum præter vocationem ex parte intellectus, & primum motum ineliberatum ut Massiliensibus se opponant, qui contra Aug. putabant omnes esse æqualiter vocatos, & qui respondent, & qui resistunt. Massiliensium namque doctrinam refellit Aug. loc. citatis, solum assignans specialem gratiam prædestinatam ex parte vocationis, & primi motus voluntatis non deliberati, ratione cuius dicitur Deus facere in nobis, ut faciamus, dum congrua illa vocatione, & motu voluntatis ita nos excitat, ut sciamus nos libere consenturos. Neque vquam August. cum Massiliensibus de illa applicatione, quam Theologi comminiscuntur, dissensio fuit. Nam ut commendaret Dei prædestinationem, & peculiare donum gratiæ præuenientis, quod prædestinatis Deus confert, sufficiebat August. inæqualem gratiam vocationis, & excitationis prædestinatis, & iis, qui respondent, assignare, ut secus explicabimus. Tum etiam necessarium non est, hanc applicationem priorem concedere ex parte Dei mouentis, ut diuinæ gratiæ priores partes tribuamus, & defendamus contra Massilienses, initium nostræ salutis ex nobis non esse: nam controversia cum illis longe diuersa fuit. Afferbant enim nos per bona quædam opera incipere ex nobis, prius quam gratia in nobis inciperet, ut disp. 91. satis ostendimus. De applicatione autem illa, utrum esset prior, aut non: ne verbum quidem apud Concilia, & antiquos Patres inuenies. Nam testimonia quæ significant Dei gratiam in nobis incipere, de præuenienti plane intelliguntur, ut disput. 88. monstrauimus. Frustra igitur in eas angustias incidunt, dum eam applicationem ad consensum excoGITANT aduersarij.

Tertio posset aliquis peculiarem gratiam præuenientem

lii 2 uenientem

Non est alius
chius viti-
tatis contra
doctrinam
Massiliens.

32.

Tertia expli-
casio.

venientem in eo, qui respondet, hoc modo explicare, & præcedentem sententiam defendere, ut ex parte vocationis in intellectu, & primo motu indeliberati voluntatis, sit æqualis: deinde nulla præcedat applicatio in eo, qui respondet, ut præcedens opinio dicebat, sed sola inæqualis, sit ex parte voluntatis, & decreti Dei antecedentis nostrum consensum, quo decreuit nobiscum cooperari. Verum hic etiam modus mihi non probatur: primo quidem, quia quæstio cum Massiliensibus fuit de inæqualitate gratiæ præuenientis: voluntas autem Dei non dicitur gratia, sed gratia est effectus illius: & de effectu voluntatis Dei fuit semper Aug. cum Pelagio, & Massiliensibus controversia. Nam, ut ipse ait 1. de prædest. Sanct. ca. 10. inter gratiam, & prædestinationem hoc solum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, ut pe in æterna præscientia Dei, gratia vero est ipsa donatio. De hac ergo donatione August. Massiliensibus probare contendit, non esse æqualem in eo, qui respondet, & in eo, qui non respondet. Secundo, non minus libertas nostra lædi videtur ex voluntatis diuinæ decreto, præcedente nostrum consensum, quam ex gratia præueniente, seu applicatione illa priori, quæ posita non potest homo dissentire: utrobique enim est necessitas antecedens, quæ libertati aduersatur, ut disp. seq. cap. 3. dicemus. Tercio frustra ponitur decretum hoc præcedens nostram determinationem nisi in re ipsa, & donatione aliquid præcedat, ut ibidem explicabitur.

August.

Secund.

Tercio.

CAPVT VI.

Probabilior eiusdem sententia expositio, & confirmatio.

35.
Prima pars
sententiæ.

Relictis igitur tribus illis explicationibus posterioris sententiæ, quam veriolem esse dixi, sinceræ eius expositionem paucis subiiciam. Primo existimo, vocationem intellectus, & primum voluntatis motum indeliberatum, in quibus gratia operans, excitans & præueniens consistit, habere aliquid in eo, qui respondet, ratione cuius, licet in se remissior sit, dicatur peculiaris, & maior gratia, maius donum, & beneficium maius misericordia, maius auxilium, quinimo maior vocatio appellari possit: ac proinde qui respondent, maiori semper gratia excitari, quam eum, qui resistit. Secundo posita tali vocatione ita semper voluntatem consentire, ut possit ei libere repugnare. Tercio gratiam illam peculiarem, quodammodo necessariam esse, ut respondeamus: quæ omnia sigillatim nobis probanda sunt.

Sec. pars.

Tertia pars.

Driedo.
Ricard.

Primum patrem tradunt Driedo opus. de captiuit. & redempt. gen. hum. tract. 4. c. 5. ad vlt. confir. 2. argum. & Ricard. art. 7. post §. 10. propositio: illud autem peculiare, quod præcedit ex parte vocationis in eo, qui consentit, appellant quid intentionale, videlicet remotionem impedimentorum, quæ intus, & extra obstant, & consensum voluntatis impediunt. Pro cuius maiori explicatione obseruanda est doctrina tradita à nobis disp. 88. cap. 11. vocationem nimirum quandam esse congruam, quandam non congruam. Congrua dicitur ab August. lib. 1. ad Simplic. q. 2. cui ita congruit arbitrium, & contemperatur, ut ei respondeat: non congrua è contrario appellatur illa, cui non consentit arbitrium. Hæc autem arbitrii congruentia cum voca-

August.

tionem, cognoscitur à Deo pro infinita sua sapientia, & sub conditione. Quare non solum cognoscit Deus scientia visionis, quid homo facturus est, postquam ipsum decreuit vocare; verum etiam quid esset facturus, si vocaretur, antequam nostro modo intelligendi, decerneret ipsum vocatione illa præuenire. Cum igitur præuentione sua decreuit Deus diuidere vocationes per singulas occasionem, ex præscientia illa diuidere decreuit, non in incertum expectans consensum nostrum absolute futurum, sed sub conditione omnia optime prospiciens. Scientiam vero euentuum sub conditione futurorum Deo conuenire, satis monstrauimus supra disp. 67. De hac congrua vocatione sapius loquuti sumus ex mente Aug. præsertim disp. illa 88 & 91. & quoniam hæc arbitrii congruentia cum vocatione cognoscitur, à Deo ex circumstantiis illius in quibus connumeratur remotio impedimentorum, quæ intus, & extrinsecus impediunt, recte dixerunt citati doctores illud, quod est peculiare in vocatione eorum, qui respondent, esse quid intentionale; eo quod non delimitur tantum ex varietate ipsa intrinseca operationis, sed ex illa cum omnibus circumstantiis, quibus coniungitur.

Hoc iacto fundamento prima pars nostre sententiæ probatur hac ratione. Tamen operatio intellectus nostri, quatenus est operatio quædam seu intellectio in se, solum dicitur maior, aut minor ex intentione, aut remissione, ex maiori, aut minori claritate, & representatione, in qua extensio etiam quædam spiritalis ad plura considerari potest: tamen quatenus dicitur gratia, misericordia, donum, & beneficium, cum alio respectu debet considerari, ex quo etiam magnitudo illius pensanda est. Cum enim hæc omnia dicuntur relate ad subiectum, cui donantur, maior gratia & misericordia, maius beneficium, & donum dicendum erit, quod magis vtile est ei, cui conferitur. Eadē enim res, quia propter diuersas circumstantias magis comoda est, aut minus utilis, maior, aut minor gratia, & misericordia, maius, aut minus donum, & beneficium vocari debet. Imò vero ob eandem rationem res maioris valoris ob diuersam circumstantiam maior gratia, & misericordia, maius donum & beneficium est, quam res maioris pretij: dare enim panem famelico, quando indiget, & eo famem depellere potest, maior gratia, & misericordia, maius donum & beneficium est, quam ei tunc auri copiam offerre: qui vocatio congrua magis comoda, & utilis est, quam non congrua, siquidem hæc bonum consensum in nobis non operatur, illa vero effectum habet: ergo licet sit in se remissior operatio, quatenus intellectio est: maior tamen gratia, & misericordia, maius beneficium, & donum appellari debet. Cum igitur ille, qui respondet, semper habeat congruam vocationem eo tempore, & modo oblatam, quo Deus nouit effectum in eo habiturum, efficitur, eum qui respondet, maiori gratia & misericordia, beneficio, & dono fuisse præuentum, quam alium, qui non consentit, vel etiam quam ipsummet, quando non respondet.

Quocirca verum est id, quod dicebamus disput. 91. cap. 14. nempe sanctam cogitationem, quæ congrua sit remotione exteriorum impedimentorum, ex quibus suborta contraria cogitatione ab effectu impeditur, ad internam gratiam pertinere.

pertinere. Illa enim cogitatio sic ab impedimen-
tis libera habet respectum nouum congruentiæ
cum arbitrio, ratione cuius non solum gratia, sed
etiam peculiaris gratia dicenda est. Diximus e-
nim rationem gratiæ constitui, & crescere etiam
ex ordine, quo respicit eum, cui datur; tamen si
substantia operationis, & cogitationis in se non
sit diuersa.

Obseruandum etiam est, rationem misericor-
diæ, doni, & beneficii non solum respicere eum,
cui datur, sed etiam animum donantis: neque e-
nim gratia dicitur, aut donum, quod aliquis tri-
buit inuitis, aut ignorans. Nam animus gratis
donantis, & beneficientis debet esse liber, & li-
beralis: animus vero misericordiam præstantis ad
subleuandum miseriam debet esse intentus: qui
autem ignorat, liber non est: qui vero vi aliqua
aut metu conuincitur, aliquid habet inuoluta-
rij, ac proinde liberalis non est. Quare qui rem
pretiosam donaret, ignorans valorem, & utilita-
tem illius, non diceretur multum donasse. Simi-
liter qui ignorat congruentiam illius, quod do-
nat, ad subleuandum miseriam, aut non misere-
tur, aut non multum miseretur, ex eo quod do-
num illud re ipsa subleuet miseriam, si ipse tunc
quando dare decreuit, id ignorauit.

Hinc sequitur necessitas esse in Deo scientiam
conditionalium veritatum, vt dicatur maiorem
gratiam, maius beneficium, & donum conferre,
cum vocat aliquem tali peculiari modo, quo facit
ipsum consentire. Similiter eadem scientia ne-
cessaria est, vt vnus dicatur Deus misereri, quem
congrue vocat, alterum vero indurare (vt loquitur
August.) cui congruam negat vocationem: de-
nique necessaria est, vt asseramus, aliquam gra-
tiam operantem, præuenientem, & excitantem
esse effectum peculiarem prædestinationis, vt
notat di. p. 93. c. 1.

Quare Catherinus & alii, qui dicunt absolute
futurum prædicti quousque præsentia sunt
realiter æternitati & futura sub conditione neu-
triquam à Deo certo cognosci, nulla ratione de-
fendere possunt, donatione gratiæ præuenientis,
peculiarem gratiam, & beneficium, aut miseri-
cordiam nobis deum contulisse, nisi ratione ma-
ioris intentionis, quod regulare esse non potest,
vt ex dictis in hoc, & in illo cap. manifestum est.
Debent igitur asserere, omnes saluandos æqua-
les esse vique ad consensum, & perseverantiam,
nisi eos à damnandis distinguere velint volunta-
te illa & electione efficaci donandi gloriam; id
quod disp. 89. satis difficile à nobis indicatum est.
Sequitur ergo secundum sententiam August. op-
timum distinguere prædestinatum à reprobato nõ so-
lum ipso consensu, & cooperatione: sed etiam
donatione gratiæ excitantis, præuenientis, & o-
perantis. In te enim incipit peculiaris gratia, mi-
sericordia, & cura Dei erga ipsos. Quare ratione
illius recte dici potest illud. *Quis est, qui te discernit?*
Ac si dicat, non tu te discernis, sed Deus solus,
qui tibi potius quam alteri congruam præpara-
uit vocationem: quæ sane ratio idem de homi-
nibus, atq; de Angelis probat, vt perspicue pater.

Eadem quoque ratio monstrat, congruam
vocationem, eo ipso quod congrua est, etiam si
remissior sit operatio, non solum esse maius do-
num, & beneficium, atque maiorem gratiam,
sed etiam maius auxilium, & maiorem voca-

Vasquez in 1. part. Tomus I.

tionem dicendam esse. De auxilio probatur, quia
cum auxilium dicatur non absolute, sed relati-
ue ad illum, cui datur, illud dicitur maius, quod ipsi
magis congruit, magis utile est, magisque ad iu-
uat, vt operetur; qualis est congrua vocatio, non
autem quod in se maius quid sit. Idem ostendi-
tur de vocatione: hæc enim cum dicatur respectu
audientis, qui propter impedimenta aliquando
non audit, maior erit vocatio, quoties ita sine
impedimentis alicui admoventur, vt eum exciter,
quam cum ille ita vocatur, vt aliunde impeditus
non audiat.

Decepti autem videntur Dominicus Sotus, &
Andreas de Vega, quos ca. 1. retulimus, vt assererent
eos, quibus Deus magis fauet gratia sua, aliquan-
do non respondere, exemplo illo de Tytiis, &
Sidonis, quod sane non est ad rem. Illud enim
solum probat, eum, qui præuenitur pauciori-
bus, & minus prodigiosis signis externis, aliquan-
do consentire, repugnante alio, cui maiora sig-
na exhibentur: sed non probat, aliquem cum mi-
nori gratia interiori respondere, alio, vel eodem
cum maiori auxilio repugnante, de quo præiens
nobis est controuersia.

Colligitur demum, non satis esse, si conceda-
mus, ex parte vocationis congruam aliquid esse,
quod non sit ex parte vocationis non congruæ:
nisi etiam absolute fateamur ratione illius maio-
rem, & specialem gratiam esse: vt ratio superius
allata, & Aug. testimonia confirmant: id quod
propter aliquos recentiores notauerim, qui cum
concedant, illis, qui respondent, vocationem do-
nari cum certa scientia conditionali futuri con-
sensus ratione cuius non absolute eam appella-
mus congruam, maiorem, & specialem gratiam,
absolute pronunciant, cum æquali gratia eundem
hominem aliquando respondere, aliquando non,
& ex duobus vnum obtemperare & alium, resi-
stere: quorum loquendi modus August. aduer-
sari videtur. An vero aliquid peculiare sit ex parte
intellectus in eo, qui respondet, sequi. cap. dice-
mus. Hunc modum peculiaris gratiæ præuenien-
tis in eo, qui respondet, explicauit Romæ anno
Domini 1587. & publice in nostro collegio do-
cui, quem cum postea à viris doctissimis nostræ
Societatis probatum & confirmatum comperis-
sem, eorum autoritate suffultus, multo magis
deinde comprobauit: & tanquam aptissimum ad
cõponendas longas de hac re recentiorum con-
tentiones, in hac controuersia semper elegi, &
publice defendi, & iam dicta ab anno 1580. sæpius
docueram & defenderam. Et hæc de 1. par. huius
sententiæ.

Secunda pars manifesta est ex Conc. Trid. sess. 4. c. 7. & à nobis comprobata cap. præced. quæ ra-
lis est. Posita tali vocatione congrua, & peculiari,
ita homo libere consentit, vt possit repugnare.

Tertia pars quæ asserit, hanc gratiam, peculia-
rem, de qua loquuti sumus, esse quodammodo ne-
cessariam, vt homo respondeat, ex iis, quæ cap. 4.
contra Massilienses notauimus, aperte probatur. Est
enim duplex necessitas, aut impossibilitas, vt ibi
dixitaliter antecedens, quæ est ex parte causæ: al-
tera consequens, quæ sequitur, aut comitatur po-
sitionem effectus. Cum ergo dicimus peculiarem
gratiam operantem, & præuenientem necessariam
esse, vt quis de facto respondeat, præter sufficien-
tem, & communem, quemadmodum Innocentius

lib. 3. & Cæ-

& Cælestinus c. illo q. citati dixerunt, & oppositum esse impossibile, intelligimus necessarium & impossibile necessitate, & impossibilitate consequenti, quam secum affert scientia Dei, cum qua auxilia gratiæ præueniētis præparantur: hæc enim supponit consensum futurum. Quare recte colligitur hoc modo. Si aliquis consentit vocanti, necessario sequitur, illum à Deo fuisse præuentum cōgrua vocatione, ac proinde fieri non posse, ut aliquis consentiat, & ea congrua vocatione non fuerit excitatus. Sicut impossibile est, aliquem consentire, & à Deo non præcognosci, quæ tamen necessitas, aut impossibilitas, cum supponat rem esse futuram, nō impedit, quo minus libere futura sit, ut disp. 68. cap. 4. fufius tractauimus.

CAPVT VII.

Respondetur testimonio prioris sententia.

Ad primum
ex August.
Resp. primo.

Secundo.

Tertio.

44.

Si ex duobus
qualiter af-
fectus alter
responderet
peculiarigra-
tia esset pra-
ueniens.

Reliquum est, ut fundamenta prioris opinionis conuellamus. Ad primum Aug. testimonium respondeo primo in eo loco eum non disputare de necessitate gratiæ, sicut in aliis pro nostra sententia allegatis. Secundo dico, opera illa de prædest. Sanctior. de bono perseuer. de corrept. & grat. de peccat. meritis, & remis. inter cætera August. insignia esse, præsertim in eo, quod attinet ad tractationem de necessitate gratiæ: in libris vero de Ciuit. Dei, parum, aut nihil de ea Aug. disputasse. Quare cum in illo de Ciuitate Dei discrimen inter eum, qui peccat, & eum, qui non peccat, in solam voluntatem ipsorum videretur reduxisse: in lib. 2. de peccat. meritis, & remis. cap. 17. & de prædest. Sanctior. c. 6. & 8. hac ratione contentus non mansit: sed discrimen hoc reduxit in diuersam voluntatis præparationem, ut cap. 4. vidimus: & in hoc etiam videbimus. Pluris ergo facienda sunt testimonia pro nostra sententia citata, quam illud de Ciuit. Dei. Tertio addo in illo cap. de Ciuit. Dei Augustin. exemplo illo duorum hominum non probare æqualitatem gratiæ operantis, & excitantis in eo, qui respondet, & qui repugnat, neque id vllō modo insinuare: sed ostendere solum voluisse voluntatem ex se, & nihil aliud præter illam esse causam malitiæ eo ipso, quod de nihilo creata est, de quo plura dicemus infra disp. 231. Probat autē inductionem, nihil esse causam mali affectus: quia non est natura aliqua superior, neque inferior, neque Diabolus per suggestionem absque consensu proprio: & concludit, ipsam facultatem voluntatis, non quatenus natura, & bona est, sed quatenus ex nihilo est, esse causam mali effectus, & cap. seq. probat, non dari causam efficientem mali affectus, sed deficientem.

Quod si ita accidere posset, ut ex duobus æqualiter affectis, & eodem omnino modo vocatis, cæterisque omnibus eodem modo se habentibus, vnus vocationi consentiret, alter vero repugnaret; nihilominus non negaret Aug. neque iuxta doctrinam alibi à se traditam negare potuisset, ei, qui responsurus esset, peculiare gratiam fuisse concessam. Cum enim Deus ipsum excitaret tali vocatione, recte nosset, ita ei vocatione esse congruam, ut responsurus esset. Contra vero ei, qui non esset responsurus, vocationem illam nō esse congruam, & efficacem: atqui diuersitas gratiæ sufficienter prouenit ex diuersitate scientiæ Dei, ut ostensum est: ergo adhuc in illo casu esset ma-

ior gratia concessa illi, qui responsurus esset: nihil ergo docet in illo lib. de Ciuit. Dei contra diuersitatem gratiæ, quam hæcenus assignauimus, ex diuersa congruentia cum arbitrio. Ibi enim solum contendit cum æquali ratione vnum posse consentire, alium dissentire, etiam si eodem modo affecti sint, & cætera paria: id quod prædictæ doctrinæ de gratiæ diuersitate nihil aduersatur.

Ve lūm enim in illo casu, an vterque responderet, vel repugnaret, aliter sentiret August. iuxta doctrinam à se traditam in aliis libris pro nostra sententia citatis, ubi quoties ex duobus audientibus eadem verba, vel videntibus eadem signa, vnus consentit, alius resistit, causam diuersitatis constituit, in eo, ut vnus diuerso modo audiant à patre, eamque diuersitatem refert in secreta iudicia dei intrus diuerso modo vocantis, & excitantis. Quod si ex parte Dei intrus præueniens non esset in æqualitas, in iudicia dei inscrutabilia diuersitatis effectus nullo modo reuocaret. Porro cum libro illo 2. de peccat. meritis & remis. cap. 17. doceat, omne peccatum prouenire ex defectu ceteræ scientiæ, & victiciis delectationis, quam tamen, inquit ea 19. prædestinatis donari, sequitur nunquam accidere id, quod lib. illo de Ciuit. Dei duobus æqualiter affectis aduersarij contendunt.

Si quid ergo contra nos docere videretur August. lib. illo de Ciuit. Dei, illud esset: euenire interdum, ut ex duobus æqualiter affectis, idemque obiectum eodem modo videntibus, & cogitantibus, ita ut vnicuique eorum æqualiter proponatur virtus, & peccatum, inuariata cogitatione vnus prosequatur malum, alius vero bonum; id quod ego existimo non posse accidere. Nam ille, qui consentit peccato, nec ab eo dimouetur per cogitationem virtutis, sine dubio efficacius considerat id, quod delectat in peccato, quam id quod delectat in virtute. Quare licet accedere possit, ut aliquis virtutem amplectatur minori cogitatione excitatus ad bonum, quam ille qui peccat: tamen hoc semper fit, ut in eo, qui virtutem sequitur, minores sint cogitationes ad peccatum alligantes, quam ad virtutem innitantes. Alioquin verum non esset id, quod dixit S. Th. 1. 2. q. 77. art. 2. ex doctrina Arist. nempe eum, qui peccat, habere defectum in intellectu, quem nos ita explicauimus in eo loco, ut leuius consideret ea, quæ auocare deberent animam à peccato: id quod perspicue tradidit idem August. lib. 2. de peccat. meritis & remis. cap. 17. ubi cum quæssisset, quare homines non sint sine peccato, & dixisset potuisse se vere respondere, quia nolant, subiungit: Sed si ex me queritur, quare nolant, inus in longum. Et paulo post: Nolum homines: siue quia latet, an insitum sit, siue quia non delectat. Tanto enim quidquam vehementius volumus, quanto certius, quam bonum sit, nouimus, etiam delectamur ardentius. Sentit ergo eum, qui peccat, minus delectari bono, minusque illud considerare, quam eum, qui non peccat, & tentatione resistit secundum virtutem. Cum vero dicit, quia latet, non intelligit purā ignorantiam eius, quod agendum est, sic enim nullum esset peccatum, nisi ex ignorance; sed intelligit defectum cogitationis, cui opposuit cap. 19. eiu. idem libri ceteram scientiam & efficacem. Omnis enim, qui peccat, aliquem defectum considerationis patitur in intellectu. Quod si non esset talis defectus in intellectu, & delectationis in voluntate in eo

qui peccat, non redderet aliam causam August. cur homines sine peccato non sint, nisi quia nolunt. Nec longius eundem sibi esset, sed ibi necessario sifteret.

Quomodo igitur ex duobus equali cogitatione ad mali excitatis, & equali cogitatione boni contra tentationem prauentis possit vnus peccato non consentire, non ex affectu contrario virtutis, sed sola negatione consensu in peccatum, & auertendo cogitationem mali; tam vnus illorum non potest resistere tentationi ex affectu virtutis, altero consentiente in peccatum, nisi diuersa, & expressiori cogitatione boni, quam mali prauentus fuerit: impossibile enim est, vt ex duobus obiectis equaliter propositis quis feratur in id, quod minus expresse propositum est: & ideo necesse est, vt in eo, qui peccat, praeceat defectus cogitationis boni, vt 1. 2. q. 7. art. 2. ex professo dicam. Hæc vero diuersitas ex parte cogitationis in eo, qui secundum virtutem tentationi resistit, non est intensio maior cogitationis: fieri enim potest, vt intensior cogitatio sit minus congrua: sed est peculiaris modus representationis, qui congruit voluntati, hoc aut alio modo affectu. Neque enim ex duobus cogitationibus pugnantibus, illa allicit semper voluntatem ad consensum; quæ intensior est: sed quæ peculiari modo expresse representat obiectum, ita vt congruat voluntati, sicut iterum dicemus disp. 209 c. 3.

At obiciat aliquis hoc modo. Si necesse est, vt præcedat efficacior illa consideratio boni, vt quis resistat tentationi ex affectu virtutis, & illam non habet homo in sua potestate, sed ex sola misericordia Dei præuenientis eam accipit: sequitur, non esse in potestate hominis victoriam tentationum secundum virtutem. Respondeo proposita cogitatione efficaciori, & minus efficaci, esse in potestate voluntatis absque nono dictamine, ab efficaciori mentem auertere, & applicare intellectum vt efficacius oppositum consideret: & ideo si efficaciori cogitationi consentit libere consentire. Tamen repugnat, vt in id consentiat, quod minus cogitat, & minus delectat, comparatione eius, quod magis delectat, & efficacius consideratur: sicut de electione minoris boni, quod est medium ad finem dicemus ex sententia S. Th. 1. 2. q. 13. art. 6. quia necesse est, in quouis peccato præcedere in intellectu defectum aliquem cogitationis, vt 1. 2. q. 7. art. 2. dicemus.

Cetera testimonia, quæ pro priori sententia adduximus, nullius momenti sunt. Dico ergo ad secundum ex eodem Augustino duos illos Reges pares omnino fuisse in signis, aliisq; externis circumstantiis, & in his tantum Augustinum illos æquale: at in vocatione interna, & affectu delectationis primi motus, de quo præsens est cōtrouersia, certe nequaquā æquales eos esse putasse. Idem respondeo ad tertium testimonium, quod erat Hieronymi, eandem scilicet. externam prædicationem Apostolorum esse bonum odorem ailiis in vitam, aliis vero malum in mortem, de hac enim solum loquebatur ibi Hieronymus sicut & Paulus. De interna vero gratia mouente, & excitante non negauit Hieronymus id quod hæcenus diximus, nec quidquam oppositum docuit. Eodem omnino modo intelligendus est Athanasius in serm. de semine, aliquantulum à principio, ubi sic ait. *Vniuersum est ista pluuia, quæ descendit, sed ta-*

men multiplicem operatur seminem: frumentum enim efficit, fabam, milium, Zeam. Loquitur enim non de interna, sed de externa gratia prædestinationis. Nam statim subiungit: Vnum igitur est, quod descendit, sed multa sunt, quæ inde crescunt. & vniuersitas pluuia in multiplicem fructificationem abire declaratur, non dexteritate feminantis (adde etiam tu neque irrigantis) sed Dei viribus fructificationem fieri. Sentit ergo Athanasius varios fructus prædicationis non ex diuersitate ipsius prædicationis, quæ pluuia comparatur, sed ex gratia Dei intrinsecus mouentis, quæ incrementum dat, prouenire. Quam doctrinam sumpsit ex Paulo. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sicut enim plantare, & rigare intrinsecus sunt, incrementum autem interna operatione communicatur: sic prædicationis, & signa extrinsecus adhibentur, sed gratia Dei intrinsecus mouet & excitat ad opus; quo quis in virtute nutritur, & crescit. Idem optime distinxit Prosper loco à nobis allegato c. 4. huius disput. cum ait, in ipsa exteriori prædicatione non esse differentiam, quia eadem est; sed in effectu plantationis, qui est incrementum, aliud à Deo fieri in eo, qui respondet, quam in eo, qui non respondet.

Demum circa prædicta testimoniis obseruandum est, adhuc illis non recte probari externam prædicationem, & signa, licet in se æqualia, imo eadem sint, esse æqualem gratiam omnibus videtur, & audientibus: nam iis, quibus congrua sunt, vt operentur, maius beneficium & gratia conferri debent quam aliis, vt ex dictis in 6. capit. non obscure colligitur. Solum ergo illis testimoniis probatur signa, & res, quæ extrinsecus exhibentur, in se quidem æqualia esse. Quare eadem signa facta Bethsaidæ, si fierent Tyri, & Sidone, maiora quidē dona, & beneficia gratiæ essent Tyriis, & Sydoniis, quia ipsis foret congrua, quam Iudæis, quibus non congruebant. Itaque si interius eadem esset omnino vocatio in duobus, posset esse vni maior gratia propter congruentiam, quam alteri; cui congrua non esset.

CAPVT VIII.

Solutio rationum eiusdem opinionis.

Ceterum vt rationes diluamus pro eadē sententia factas, reuocanda est in memoriam necessitas illa duplex, præcedens videlicet, & sequens, de qua dictum est in hac disput. cap. 5. Dicimus ergo, cuius vocationi, siue illa sit congrua, siue non, quælibet posse respondere, possibilitate ex parte causæ, quia nulla est vocatio, quæ ex se quatenus consensum præuenit, non relinquat voluntatem liberā in vtramq; partem, vt ibidem diximus, sed impossibilitate sequenti, quæ secum affert scientia Dei, cum qua vocatio datur, nemo potest respondere, nisi vocationi congrua, h. e. supposita dei scientia, quæ etiam supponit hunc, aut illum non consensurum, nemo illorum respondere potest. Quæ necessitas perinde est, atq; illa, quæ dicimus, futurum vt futurum, non potest non esse futurum, quæ nostræ libertati nihil derogat, sed integram, & illam supponit vt disp. 68. c. 8. monstrauimus. Cum ergo dicitur in argumento, præter communem vocationem nullam aliam gratiam peculiarem operantem, & præuenientem necessariam esse, vt homo respondeat, si

de necessitate loquamur precedenti ex parte causæ, verum est; si vero de necessitate sequenti, requiritur sane congrua vocatio: quo fit, ut quoties homo consentit, nunquam illi desit peculiaris gratia vocationis, & peculiaris misericordia præueniens.

Obiectio

Solutio

Verum obicitur aliquis, Si in nostra est potestate, respondere cuius vocationi communi, & non congruæ: ergo nostræ etiam erit electionis, quamlibet vocationem nobis facere congruam. Contra etiam, cum liberum nobis sit resistere vocationi congruæ, ut c. 4. 5. & 6. prædictum est, consequitur, in nostra esse potestatem, congruam vocationem facere non congruam. Respondeo, si scientiam Dei, quæ metitur vocationem cum euentu, secludamus, & de quantis vocatione ante præscientiam loquamur, liberum est vnicuique cuius consentire, & repugnare, ac proinde facere congruam. Esse enim vocationem congruam, aut non congruam, ex libero pender arbitrio: si, ut rem fore, aut non fore: tamen si ex eo non pèdeat, eam vocationem nobis concedi; quæ in nobis congrua futura est, ut notauimus disp. 92. c. 2. At vero si sermo sit de congrua vocatione, facta suppositione scientiæ Dei, cum qua confertur, cum hæc supponatur, illam vocationem effectum habituram: hoc modo non est in nostra potestate facere vocationem congruam, non congruam, aut contra: perinde enim esset atque facere, ut futurum, quatenus supponitur futurum, non sit futurum. Sicut dicebamus disp. 66. c. 7. in nostra esse potestatem, ut aliquid Deus sciat ab æterno & non sciat, nulla facta suppositione scientiæ Dei: at vero semel supposito, quod Deus sciat, iam non esse in nostra potestate, ut illud non sciat.

Hinc colligitur, cum sufficiens auxilio non congruo quilibet posse saluari, possibilitate ex parte causæ, & præced. sed neminem de facto saluari, quia auxilium non congruum est illud, quod a deo cognoscitur effectum non habiturum. Neque vero frustra est illa potentia, quæ nunquam ad actum reducitur: nisi si esset peculiaris aliqua natura, aut mensura auxilij determinata, quæ ex se diceretur omnibus sufficiens; recte colligeremus eam esse frustra, nisi in aliquo individuo ad actum reduceretur: at vero cum auxilium sufficiens per singulas occasiones in eodem etiam homine sit diuersum, de quolibet illorum sigillatim, non de communi aliqua natura auxilij dicimus esse sufficiens, cum quo potest homo operari, sed non operabitur. Hæc autem potentia, quæ in singulari individuo reperitur, etiam si nunquam reducatur ad actum, frustra non est: & multas quidem huiusmodi vocationes aduersariis concedere debent, quæ non habeant effectum, quem possunt habere: satis autem est, si in tota latitudine auxiliorum gratiæ, per singulas occasiones, sit aliquod auxilium sufficiens non efficax, aliud vero efficax: sic enim potentia reducitur ad actum. Cum vero dicimus, liberum esse volutari vocationi non congruæ respondere, ita intelligendum est: quia potest homo excitare se ipsum ut id, quod proponebatur per cogitationem non congruam, melius consideretur: & fiat congrua cogitatio qua mouetur affectus. Hoc autem efficere potest voluntas, hoc ipso quod sistit se ipsam, & non consentit cogitationi, quæ efficaciori modo obiectum proponebat, & ab ea metem auerrit, nec ad hoc indiget noua cogitatione, quæ dicitur de nouo considerandum esse.

Ex dictis in tota hac disp. inferitur primum, ipsum respondere vocationi esse à gratia, & libero arbitrio simul tanquam à duabus causis per se necessariis: sed non respondere, esse à solo libero arbitrio, tanquam à causa per se, non tamen à deo nisi tanquam à remouente prohibens: quæ à philosophis dicitur causa per accidens. Ex eo enim, quod Deus negat auxilium efficax congruum, sequitur quodammodo hominem non respondere, nempe ut à causa per accidens. Quomodo autem gratia præueniens, quæ non est congrua, non operetur in homine, quæ Deus vocat, quia homo ipsi deest, & non vult consentire, explicatum est supra disput. præced. cap. 6. ex mente Anselmi, Hugonis, & Concilij Tridentini.

Deinde inferitur, frustra aliquos recentiores Theologos asserere, auxilium efficax sine quo nullus conueritur ad Deum, esse gratiam habitualem, quæ tamen in cuiusque potestate sit. Nam cum agitur de auxilio efficaci, non solum agitur de illo, quod requiritur ad dilectionem dei super naturalem, sed ad quæuis opera gratiæ, quæ etiam fiunt à peccatoribus sine gratia habituali.

Tertia pars de prædestinatione, & reprobatione simul.

Tertia pars huius q. 23. & totius tractatus de prædestinatione communis est prædestinationi, & reprobationi. In ea vero agitur de certitudine prædestinationis, & necessitate illius, idemque de reprobatione proportionem quadam intelligendum est. Superfuit autem ex hac q. 23. duo tantum articuli sigillatim explicandi.

ARTICVLVS VI.

Utrum prædestinatio sit certa.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod prædestinatio non sit certa. Quia super illud Apoc. 3. c. Te ne quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, dicit August. quod alius non est accepturus, nisi iste perdidit. Potest ergo & acquiri & perdi coronam, quæ est prædestinationis effectus. Non est igitur prædestinatio certa.

2. Præterea. Posito possibili nullum sequitur impossibile. Possibile est autem aliquem prædestinatum, ut Petrum, peccare, & tunc occidi. Hoc autem posito sequitur prædestinationis effectum frustrari. Hoc igitur non est impossibile. Non ergo est prædestinatio certa.

3. Præterea. Quicquid Deus potuit potest. Sed potuit non prædestinare quem prædestinauit. Ergo nunc potest non prædestinare. Ergo prædestinatio non est certa.

Sed contra est, quod super illud Rom. 8. Quos præsciuit, hos & prædestinauit, &c. dicit glo. Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quæ certissime liberatur quicumque liberatur.

Respondetur.

hoc non tollitur prædestinationis certitudo.

Explicatio articuli.

Conclusio est. Prædestinatio certissima est, & infallibilis, voluntati tamen nostre non imponit necessitatem; idemque de reprobatione est asserendum. Confirmationem huius conclusionis remittit S. Thom. ad qu. 22. art. 4. ubi probatum manet, providentiam in universum certam esse: ex illa tamen arbitrii libertatem non lædi. Quare cum prædestinatio, & reprobatio sint partes providentiæ, eadem omnino de illis ratio erit.

In solutione 3. ostendit S. Doctor, quo pacto prædestinatio Dei mutari nequeat: de hoc tamen nulla nobis futura est disputatio. Iam enim de scientia Dei q. 14. art. 15. & de voluntate q. 19. art. 7. satis diximus; est autem omnino eadē ratio prædestinationis: hæc namque aut sunt operationes intellectus, aut voluntatis, aut utriusque, ut art. 1. huius questionis dictum est. Nunc ergo de sola certitudine prædestinationis, & reprobationis differemus.

DISPUTATIO XCIX.

An certitudo prædestinationis, & reprobationis cum libertate nostra rectè constet.

Statuitur doctrina Catholica contra hereticos, cap. 1.
Opiniones Durandi, Caietani, & Ioannis Medina, c. 2.
Quarta sententia antiquorum Scholasticorum, cap. 3.
Quinta & sexta opinio recentiorum, cap. 4.
Dua alia Theologorum opiniones, cap. 5.
Vera sententia, & ratio concordia arbitrii nostri cum præfinitione Dei, c. 6.
Præfinitionem Dei in præscientia non esse priorem determinatione nostre voluntatis, ratione ostenditur, cap. 7.
Corollaria præcedentis doctrinæ, cap. 8.

CAP. VII.

Statuitur doctrina Catholica contra hereticos.

Anequam disputationem propositam accedamus, quædam certa & indubitata in hoc cap. præmittenda sunt. Primum est eandem esse difficultatem de prædestinatione, & providentia, atque de voluntate Dei, quam in hunc locum reservavimus; tamen si non sit eadem de scientia speculativa, & voluntate: nam multo facilius scientia Dei cum nostra libertate conciliari potest, quam voluntas divina. De scientia autem iam à nobis satis superque dictum est disput. 68. Porro eandem de voluntate, providentia & prædestinatione difficultatem esse patet: quia licet aliqui putent, providentiam, & prædestinationem, quæ est illius pars subjectiva, esse actus intellectus, dicunt tamen esse actus intellectus practici per modum imperii, qui ex motione voluntatis pendunt. Cum ergo supponant voluntatem eisdem rei, eadem omnino erit, de voluntate, providentia, & prædestinationis difficultas.

Secundo siue in voluntate, & mente Dei sit unus tantum actus providentiæ, siue sit duplex, alter

Respondeo dicendum, quod prædestinatio certissime, & infallibiliter confirmatur suum effectum, nec tamen imponit necessitatem, ut scilicet, effectus eius ex necessitate proveniat. Dictum est enim supra, quod prædestinatio est pars providentiæ. Sed non omnia, quæ providentiæ subduntur, necessaria sunt: sed quædam contingenter eveniunt secundum conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus divina providentia ordinavit. Et tamen providentiæ ordo est infallibilis, ut supra ostensum est. Sic igitur & ordo prædestinationis est certus, & tamen libertas arbitrii non tollitur ex qua contingenter provenit prædestinationis effectus. Ad hoc etiam consideranda sunt quæ supra dicta sunt de divina scientia, & divina voluntate, quæ contingentiam à rebus non tollunt, licet certissima & infallibilia sint.

Ad primum ergo dicendum, quod corona dicitur esse alicuius dupliciter. Vt modo ex prædestinatione divina, & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim mere-mur quodammodo nostrum est. Et sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco eius subrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat, secundum illud Iob 34. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Sic enim in locum angelorum cadentium substituti sunt homines & in locum Iudæorum gentiles. Substitutus autem in statum gratiæ etiam quantum ad hoc coronam cadentis accipit quod de bonis, quæ alius fecit, in æterna vita gaudebit, in qua unusquisque gaudebit de bonis tam a se quam ab aliis factis.

Ad secundum dicendum, quod licet sit possibile eum, qui est prædestinatus, mori in peccato mortali secundum se consideratum, tam hoc est impossibile positum prout scilicet ponitur eum esse prædestinatum. Vnde non sequitur quod prædestinatio falli possit.

Ad tertium dicendum, quod cum prædestinatio includat divinam voluntatem, sicut supra dictum est, quod Deum velle aliquid creatum est necessarium ex suppositione propter immutabilitatem divinæ voluntatis, non tamen absolute ita dicendum est hic de prædestinatione. Vnde non oportet dicere, quod Deus possit non prædestinare quem prædestinavit in sensu composito accipiendi, licet absolute considerando Deus possit prædestinare, vel non prædestinare, sed ex

Observatio prima.

Secundo.

alter